



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Capvt Decimvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

ARGUMENTVM.

Persequitur adhuc Ioannes septimi Angeli visionem, quæ totum hoc caput decimum, imò ferè totum vndecimum comprehendit. Quod attinet ad visionem imaginariam, primum vidit Ioannes Angelum quendam fortem descendentem de cælo, amictum nube, vestantem capite iridem, cuius facies erat vt sol, & pedes tanquam columna ignis, habebatque in manu apertum libellum. Secundo. Posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, & clamauit voce magna instar rugientis leonis. Tertio. Cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua, quorum voces iubetur Ioannes scribere, & prohibetur scribere. Quarto. Angelus, qui stabat super mare, & super terram, manum suam in cælum sustulit, iurauitque per viucentem in secula seculorum tempus amplius non futurum: sed in diebus Vocis septimi Angeli mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas, consummandum. Quinto. Audiuit Ioannes vocem de cælo ad se loquentem, vt de manu Angeli stantis super mare, & super terram, librum apertum acciperet, quem cum accepisset, & ex præcepto eiusdem Angeli deuorasset, illum quidem in ore tanquam mel dulce, sed in ventre tamen sensit amarum. Postremo, Dixit illi Angelus: Oportet te iterum gentibus, & populis, & linguis, ac Regibus multis prophetare.

CAPVT DECIMVM.

ET vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquam columna ignis & habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram: & clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: & audiui vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere. Et Angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per viucentem in secula seculorum, qui creauit cælum, & ea quæ in eo sunt: & terram, & ea quæ in ea sunt: & mare, & ea quæ in eo sunt: Quia tempus non erit amplius: sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut Euangelizauit per seruos suos Prophetas. Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, & super terram. Et abijit ad Angelum dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi

æcepi librum de manu Angeli, & deuorauit illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum deuorassẽ eum, amaricatus est venter meus: & dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.

COMMENTARIUM QUARTVM EXEGETICVM.

De Tertia Visione Ioannis.

Quid nobis videatur de hac visione sentiendum?

SECTIO PRIM A.



OMMUNIS opinio, quam sequuntur Beda, Primas. Richar. Victor. Pannon. & alij, hunc Angelum Dei fortem Christum Dominum interpretatur, qui de cælo descenderit per incarnationis mysteriũ: iridem capite gestauerit, hoc est, pacem mundo attulerit: librũ habuerit apertum in manu, hoc est, mysteriũ gratiæ reuelauerit: instar leonis rugierit, id est, futura dånationis pœnas terrifica voce denũciauerit, tẽpũsque amplius post iudiciũ non futurum iureiurando confirmauerit, pedẽ dextrũ super mare, sinistrum super terrã posuerit, id est, Gentilẽ, Iudaicũque populũ suæ potestati subiecerit, denique post eius vocẽ septẽ tonitrua locuta fuerint, id est, Apostoli eius fidem per vniuersum terrarum orbem prædicauerint: vnde & filiis Zebedæi Christus Boanerges, id est, filij tonitruui nomen imposuit. Marc. 3. Cæterũ hæc expositio nobis non satis probatur: quorsũ enim hoc loco ad incarnationem, & primum Christi aduentũ recurrat Ioannes, qui totus iam est in secundo, extremisq; mundi temporibus describendis: Quare existimamus hoc capite præparationem quandam præmitti ad ea, quæ capitibus sequentibus dicenda sunt de temporibus Antichristi. Itaque ne de iustitiã Diuinã seueritate, quæ tunc maximẽ exercebitur, conqueri homines possint, nunc Deus Angelum quendã mittit ad Ioannem, qui nouis comminationibus iureiurando confirmatis de mundi fine, & mysterio in tuba septimi Angeli cõsummando flagitiosos homines perterreat, & à scelerum turpitudine auocet, atque ad iram ipsius per penitentiam mitigandã adhortetur.

Igitur hic Angelus fortis descendens de cælo, irim in capite gestans, cæteraque instar nobilissimi cuiusdam legati ornamenta præferens (vt vult Andr. Episc. Cæsareæ Cappadociæ) Angelus est bonus, Christi Domini, personam gerens: nec defunt, qui eundem illum Angelum putent, quem cap. 5. Ioann. vidit prædicatẽm voce magna: *Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius?* librum verbũ, quem tunc aperire optabat, apertum iam ab Agno modo portare, vt Ioanni traderet. Apparuit porro, indutus vestimentis legationi conuenientibus, quæ ipsam etiam legandi causam indicarent. Primum nanque amictus erat nube ad indicandã eorum temporũ cõfusione, densũque errorum caliginem, qua mortales alienissimis illis temporibus impliciti versabuntur. Iris in capite oblatam à Deo pacem, & fœdus significati, si homines pœniteant. Pedes ignei contra, ni pœniteant, iracundiam, & furorem, similitudo columnarum fortitudinem, & poten-

I.
Beda.
Primasius.
Rich. Vict.
Pannon.
Per Angelum
Dei fortem
Christus ad-
umbratur.

Marc. 3.

Præparatio
ad Antichri-
stis tempora.

II.
Andr. Episc.
Apocal. 5. 2.

tiam ad supplicia impiis inferenda. Alterum habebat super mare, & alterum super terram: quia omnia sua magnitudine complectitur, ne quisquam siue in mari, siue in terra furorem eius subterfugere posse arbitretur. Rugitus instar leonis ita magnitudinē indicat. Locuta sunt septem tonitrua, quia per omnium creaturarum vniuersitatem, quæ in septenario numero solet intelligi, aduersus impios vsque ad eodē terrificus apparebit, vt vbiq; tonare videatur, iuxta illud 1. Reg. 2. *Dominus formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cælistonabis.* Iubetur Ioannes tonitruorum voces signare, id est, tacita secū cogitatione notare, nec tamen scribere: fortasse ne tantorum malorum, quæ ipsi ostensa sunt, prænūciatione perterriti mortales animo conciderent, & in salutis desperationem venirent. Quod sequitur de iureiurando, ad tempus per iudicium perinet: quod mysterium, cui dicatur in voce septimi Angeli consummandum, eo loco docebimus. Iubetur etiam Ioannes librum apertum sumere, & deuorare, vt in eo nimirum legat, & cogitatione reuoluat, quæ per reuelationem deinceps, de Antichristi tempore, & fine mundi debet accipere, & Ecclesiæ nuntiare: quem in ore dulcem: in ventre lentit amarū, quia ipsa prænūciatione rerum futurarum delectatus, pauld post tot, tantorumque malorū mortales expectantium cogitatione incredibilem animo dolorem cepit. Denique, quod Ioanni dicitur oportere, illum iterum prophetare gentibus, illud significat Ioannem ex insula Pathmos, vbi omnes istæ visiones accidebāt, in Asiā minorem reuerfurum, & Euangelium, quod post Apocalypsum scripsisse initio huius operis diximus, multis annis prædicaturum, relicurūque posteris, quare inferius disputabimus. Nunc ea, quæ generatim, & vniuersè de huius visionis mysterio pertrinximus, minutius concidamus.

Cur Christus pedes instar columnarum ignis habere dicatur?

Et in primis prima de misericordia, & iustitia expositio affertur.

SECTIO II.

TAMETSI per hunc Angelum fortem non ipsum Christum, sed Angelum quēdam sanctū Ioanni loquentem cum Andrea Episcopo Cæsareæ intelleximus, minimè tamen dubitandum est, quin Christum is Angelus representauerit, cuiusque personam gesserit: atque ad eodē omnia eius ornamenta ad Christum multo meliori iure pertinuerint. Quoniam igitur de iride, quæ super caput eius apparuit, multa diximus cap. 4. nunc illud est ordine disquirendum, cur eius pedes tanquā columnæ ignis dicantur: sic enim Græcè est *ἡ εἰς πῶδες αὐτοῦ ὡς στήλοι πυρός.* Prima expositio est per duos pedes Christi duas eius virtutes præcipuas misericordiam, & iustitiam significari, quarum alteram in primo aduentu potissimum ostendit: alteram in iudicio demonstrabit: esse enim vtramque veluti pedes Christi, quibus ad nos venire consuevit, non obscure significauit Regius vates Psalm. 24. *Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas. Vniuersa via Domini misericordia, & veritas.* Etenim hoc sensu locum intellexit Remig. & D. August. qui inter alia, *Dulcis inquit, & rectus est Dominus, qui post misericordiam vocationis, & veniæ, quæ habet gratiam sine meritis, digna vltimo iudicio merita requirit: quas autem vias docebit nisi misericordiam, quæ placabilis, & veritatem, qui incorruptus est? glorum vnum præbuit donando peccata, alterum merita iudicando: & ideo vniuersæ viæ Domini duo sunt aduentus filij Deus, vnus quidem miserantis, alter vero iudicantis.* Hæc ille. Itaque duobus

his

Pedes Christi misericordia, & iustitia.

Remigius. D. August.

his quasi pedibus ad nos venit Christus: ambo autem instar columnarum sunt propter firmitatem & potentiam, quam in misericordia, & iustitiæ operibus declarat. Porro istæ columnæ sunt igneæ propter amoris ardorem, quem non miserando solum, sed puniendo etiam demonstrat: hanc enim ob causam dixit sponsa Cant. 5. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Verè epim duo hi pedes Christi, columnæ sunt fundatæ super bases aureas charitatis, quæ tam in misericordiæ, quàm iustitiæ operibus mirificè resplendet.

Cant. 5. f.

Et verò pedem dextrum misericordiæ, sinistrum iustitiæ dixerim multas ob causas. Primum, quia pes dexter multò est fortior, quàm sinister: sic enim fortior se, ac potentior em Deus in sua erga homines misericordiæ argumentis, quàm in operibus iustitiæ demonstrat. Vnde Moyses cum misericordem Deum appellavit, fortem dixit Exod. 34. *Dominacor Domine Deus, misericors, & clemens,* seu, ut alij transferunt ex Hebr. *Fortis, & misericors.* Id quod etià cõceptis verbis dixit Apost. Rom. 9. illis verbis: *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa potentia vasa iræ.* quo loco non solum significat Deum iram simul, & potentiam ostendisse in puniendõ Pharaone, de quo paulò ante locutus fuerat Apostolus, & propterea illum patienter tãto tempore sustinuisse, sed hoc ipsum quòd eum tãdiu sustinuit per misericordiam, maximum fuisse suæ potetia argumentum. Sic enim eum locum intellexit D. Chryl. homil. 16. super epist. ad Rom. *Non vult, inquit, Deus suum robur per supplicium innotescere, sed per beneficentiam, & liberalitatem.* Tuli igitur Pharaonem multo tempore suam simul declarans bonitatem, & potentiam. Idem expressè dicitur Sap. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominũ propter penitentiam.* Vbi obseruanda est illa consecutio, non enim dictum est: *Misereris omnium, quia misericors es,* sed, *quia omnia potes,* id est, *quia omnipotens.* Ratio huius rei ea afferri potest ex eo, quòd Deus sit omnipotens, omnia quasi nihil, & indigna sua ira, & indignatione reputare iuxta illud Poëtæ,

II. Misericordia pes Christi dexter, iustitia sinister. Exod. 34. 6.

Deus indulgendo potentiam suam ostendit.

D. Chrylost.

Sap. 11. 4.

Dignum te Casaris ira ---- Nullus honor faciet.

Aut certè, quod magis placet, quia iram posse cohibere, & peccantibus parcere: excellẽtissimè ac generosè est animi, & qui non impotens sit sui, sed potens maximè ad sibi quidquid tandem acciderit imperandum: quo fit, ut hæc in Deo excellens, præstansque natura eius animi, ut ita dicam magnitudinem, imò & omnipotentiam declarèt. Meritò igitur D. Fulgent. Epist. 7. ad Venantiam de recta penitentia, expendens illud Esaiæ 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eum, quia multus est ad ignoscendum,* sic ait. *In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotens misericors: tanta est autem benignitas omnipotentia, & omnipotentia benignitas in Deo, ut nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare conuerso.* Denique idem canit Ecclesia, cum dicit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.*

D. Fulg. Esaiæ 55. 7.

Deindè, quia motus à dextro pede incipit: etenim, ut auctor est Philotophorum Princeps lib. 2. de celo cap. 2. dextrum vniuersiusque id esse dicimus, vnde principium motionis emergit, eouersionisque cæli principium, id est, vnde oriatur stellæ: hoc est dextrum, sinistrum, vbi occidunt: sic igitur principium Diuinae motionis misericordiæ est, indeque Diuinarum gratiarum pulcherrima sidera tanquam à parte dextra oriuntur: occidunt verò ad lauam propter iustitiam. Quam ob causam ferè in sacris literis prius misericordiæ quàm iustitiæ nominatur, veluti Psalm. 24. *Dulcis, & restus Dominus: & uniuersa via Domini misericordia, & veritas,* & Psalm. 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine:* & Psalm. 60. *Misericordiam, & veritatem eius quis requirit?* & multis alijs in locis. Indè etiam est,

III. Aristoteles.

Psalm. 24. 7. Esai. 100. 2. Psalm. 60. 2.

quod Deus ex primaria voluntate cælum in beatorum domicilium fabricavit, gehennâ verò non nisi ex secundaria in damnatorum pœnam effecit, vt non obscure D. Chrysof. hoc ex capite à dextra parte, hoc est, à misericordia suæ motionis initiũ sumplisse dicendus sit. Ita docet D. Chryf. in priori parænesi ad Theodorum lapsum his verbis: *In hoc quidem creauit nos Deus, vt regnum cælorum tribueret, non vt in gehennam detruderet, quæ propter Diabolum facta est. Vtrumque verò Christus subindicat Matth. 25. cum se disciturum commemorat ihs, qui à dextris stabunt: Venite benedicti patris mei: possidete paratam vobis regnum à constitutione mundi: ihs autem, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Nec verò credendus est D. Chryf. negare gehennâ fuisse etiã paratam reprobis hominibus, sed illud tantum affirmare fuisse post Dæmonis, & asseclorum Angelorum casum, qui peccatum hominis ante cessit, constitutam: atque ad eò non ex intentione primaria inter ipsa mundi opera, sed ex Dæmonis peccantis occasione fabricatam.

Denique quoniam quemadmodũ dextrũ illi dicitur, quod magis est naturæ accommodatũ, sinistrũ verò, quod præter naturã accidit, ite misereri proprium est naturæ Diuinæ, punire verò quasi extraneum, hoc est, à sceleribus, quæ patrantur, occasione, materiã que accipiens. Vtrumque habes Esai. 28. *Vt faciat opus suum, punire quasi alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* In quem locum D. Hier. *Contra impios, inquit, irascetur Dominus, vt faciat opus suum: non est enim opus Domini perdere, quos creauit, sed facere opus alienum: peregrinum enim est, & alienum ab eo, vt puniat qui est saluator.* In eumdemq; sensum dicitur Thren. 3. *Non ex corde suo humiliauit, & abiecit filios hominũ, id est, Non est cordis sui punire, sed id facit prouocatus: quomodo enim ex animo dicatur punire, qui Gen. 6. Tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem quem creauit.* Atque hanc præptam, & facilem ad miserendũ naturã Christus, vbi primũ natus est, ostendit: ea enim ipsa die, qua fuit in lucẽ editus, Romæ in Transybetina regione fontẽ olei voluit cæcutire, qui integrũ diem sine intermissione manauit, vt argumento esset ipsum, vbi primũ in terris pedẽ posuit, simul dextrũ misericordiæ pedẽ quamprimũ ostentasse, eoque suæ clementiæ, & misericordiæ fontem aperuisse, ex quo omnia beneficiorũ genera cõtinenter dimanarent. Sic scribunt Sabellicus lib. 2. Enneadis 7. & Platina in vitis Pontifici in Iesu Christo: quanquã hoc prodigiũ non ipso die ortus Christi, sed multò antea accidisse probabilius videatur: quemadmodum testatur Euseb. in Chron. Paul. Diac. lib. 7. de gestis Romanorum, Paul. Oros. lib. 6. cap. 19. qui addit eiusmodi signum gratiam per Christum largẽ effundendam portendisse.

Duæ aliæ expositiones de Christi pedibus instar columnarum explicantur.

SECTIO III.

I. Præter superiorem de Christi pedibus instar columnarum expositionem, quæ diximus duo eius præstantissima attributa misericordiam videlicet, & iustitiã expressa fuisse: sunt aliæ quoque duæ, quarum vna, quæ secunda sit ordine, habet per pedes columnis similes eam firmitatem, stabilitatẽ que certæ, ac ratæ prouidentia significari, qua Christus omnia præpotenti virtute administrat, & ne nihilum intereat, admirabili potentia sustinet: ita vt Christi pedibus tanquã columnis firmissimis vniuersa mundi, & Ecclesiæ moles, ac fabrica sustentetur. Hoc etiam sensu Theod. intelligit illud Cant. 5. *Crura illius columna marmorea, quæ fundata sunt super bases aureas: bases autem aureas nominauit, vt pretiosarum actionum decus declararet. Eandem Christi firmitatem expressit Apost. illis verbis Heb. 1.*

Portans

Portans omnia verbo virtutis sua: quod communiter interpretes ad vniuersi huius gubernationem referunt; aduertitque Theoph. non dictū esse *Gubernans*, sed *Portans*, sumpta metaphora ab iis, qui digito aliquid mouent, & aliò transferunt, vt significauerit Apoll. tale tantumque pondus creaturarū adeo citrà negotiū portari à Christo, vt nihil baiulare videatur, quippe qui s'glo verbo omnia sustineat. Idem colligit Georg. Venet. in Harmonia cāt. 2. tono. 2. c. 9. ex illis verbis ad Col. 1. *Omnia in ipso consistat*: quæ verba videtur ad colūnarū firmitatē alludere. D. etiā Greg. lib. 2. Moral. c. 12. expendēs illud Esaiæ 40. *Quis appendit tribus digitū molem terræ? quis mensus est pugillo aquas. & palmo calos ponderauit?* & illud eiusdem Proph. cap. sexagesimo sexto. *Calum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum*, sic ait: *Sedi, cui praesidet, interior, & exterior manet: calum autem palmo metiens, & terram pugillo concludens dicitur, quod ipse omnia contineat. Itaque per sedem, cui praesidet, intelligitur, quod sit interior: supraque per pugillum verò, quo continet, exterius, & subter. Nā super omnia est, & infra omnia: superior est per potentia, inferior per sustentationem: ubique praesidendo sustinens, & sustinendo praesidens.* Hæc ille. Quæ quamuis de Deo absolute disserat, tamen Christo etiam secundum vtranque naturam tribuenda sunt, quippe cui secundum vtranque naturam Diuinā creata omnia, secundum humanam verò vniuersæ Ecclesiæ fabrica innitatur: vnde est illud Ps. 128. *Suprà dorsum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem suam*, hoc est, vt interpretatur Remig. Dorsum meum ædem sibi fecerūt flagellando: in qua fabricatione prolongauerunt iniquitatem suam, & ex opposito iustitiam meam: quod dicit ad consolationē auditorum, ne illis molesta sit tribulatio, cū iustitia inde crescat. Itaq; suprà dorsum Christi fabricabatur Ecclesia, cū verberibus cædebat: quam obrem meritò eodem Ps. canit Ecclesia: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi, id est, non præualuerūt: quomodo enim euertere, & solo æquare potuissent illud ædificium, quod supra Christi dorsum, hoc est, firmissimam petram erectum fuerat? Obseruat Theod. Aquilam, & Theodotionē eundem locum ita transtulisse: *Suprà dorsum meum arauerunt peccatores: nā & in Hebræo proprie est: Suprà dorsum meum arauerunt arantes*: hoc enim sonant Hebræa verba *אראו עלי דורשי*. Quod quidem Theodoretus refert ad flagella, & verberationes triumphatoribus Martyribus à tyrannis inflictas: verum ad Christi flagella spectare dubium esse non debet. Ea verò similitudine indicatur Christi dorsum quasi tellurē frugiferam fuisse, flagellis, & verberibus proficisā, & aratā, vt in eā sementis vniuersæ Ecclesiæ iaceretur, ex qua infinita fidelium leges breuissimo tēpore pullularet: eodēmq; modo supra dorsum martyrum arat persecutores, & seminant segetē meritorum, & iuxta vulgatā editionem fabricant ipsis pulcherrimas gloriæ coronas. Non est autem prætereundum, quod sequitur: *Prolongauerunt iniquitatem suam*: ea nimirum est impiorum natura, vt iniquitatem semper extendant ducta similitudine, vt plerique volunt à funibus, qui vt longiores efficiantur, alij aliis nectūt. Sic enim impij iniquitatem iniquitati, quasi funē funi addunt, itaque longissimū funē conficiunt, quo ipsi constringantur, iuxta illud Prou. 5. *Funibus peccatorum suorum constringitur impius*. Id verò tunc fit, cū iniquæ cogitationi, iniquum consensum, consensui opus, operi consuetudinem, consuetudini necessitatem, necessitati excusationem, excusationi defensionem, defensioni impœnitentiam, impœnitentiæ desperationem adiiiciunt.*

Tertia, & postrema expositio, quæ etiam in hunc locum afferunt interpretes, ea est: per hæc igneas columnas Ecclesiam accipiendam esse, siue fideles, qui illis extremis temporibus tanquam pedes, id est, vltima membra Christi igne tribulationis probabuntur: qui columnis quidem propterea comparantur, quia comparantur

Theoph.

Georg. Ven.
Colesij 1. 17.
Esai. 40. 11.

Esai. 66. 1.
D. Gregor.

Ps. 128. 3. a.
Remig.

Theod.

Prou. 5. 2
II

Ecclesia seu
fideles ex
tremis tem-
poribus siue
retinentes
columnis
comparantur

prædestinati tanquam columnæ immobiles permanebunt: igneis verò columnis, quoniam ardentissimo persecutionis igne eo tempore probati, toti incensi, ignitū que rubebunt, præcipuè verò Evangelici concionatores, qui peculiari quadam ratione pedes Christi appellantur, quia iis tanquam pedibus Christus incedat, vniuersumque lustret orbem, vj iam alias diximus. Quod verò ignis tribulationē significet, perspicuum est ex illis verbis, *Pl. 65. 10. Quoniam probasti nos: Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentū: & pauld post: Transimus per igne, & aqua, & eduxisti nos in refrigerium: vbi obseruanda est elegans D. Aug. ratio, cur Deus Sanctos suos prius per igne, deinde per aqua in refrigeriū educat. Vas, inquit, quod in igne formatū est, aqua non times, si autē solidatū igne non fuerit, tanquam lutū aqua soluetur: nolī festinare ad aqua, per ignem ad aqua transi, & transcas & aqua firmus esto aduersus ignem, coqui te oportet, tanquam vas fictū mittens in caminum ignis, ut firmetur, quod formatum est. Itaque vult D. Augustinus hominem prius bene probatum, tanquam igne coctum nullas iam amplius persecutiones, & labores formidare, quemadmodum vas in igne coctum aquam non timet. Aduertendum est etiam non vacare mysterio, quod argenti similitudo adhibetur, quod in igne fit purius: sic enim Sancti in tribulatione puriores euadunt. Ceterū multi non sicut argentum, sed sicut in plumbum conflantur, quod in igne consumitur, quoniam tribulationibus & suppliciis deteriores efficiuntur, quod ad litteram de Iudaiico populo dictum est, Hier. 6. Consumptum est in igne plumbum, frustra confluat conflator: malitia enim eorum non sunt consumptæ.*

Cur Christus dextrum pedem super mare, sinistram super terram habeat?

Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistram autem super terram.

SECTIO IV.

I. **D**Vo in huius sententiæ explaatione desiderari videbantur, vnum erat, cur Christus altero pede mare, altero terram premere describeretur? Alterum, cur dextro, potius pede, quam sinistro mare: sinistro autem potius, quam dextro terram calcare visus fuerit? Cum ergo iam in superioribus priori dubitationi fecerimus satis significatum videlicet fuisse vniuersum terrarum orbem, qui terræ, marisque appellatione comprehendi solet, Christi Domini imperio, potestati que subiiciendum: superest, ut posteriorem diluamus.

II. Primum igitur, ut plerique in hunc locum annotarunt, Christus Dominus dextrum pedem, qui fortior est, & valentior, habet super mare natura inquietum, & procellosum, & quod ventis hinc inde continuò excitatū feruet: sinistrū vero, qui videtur imbecillior, super terram natura sua immobilem, eodēmq; semper consistētem loco, imò, & quæ tutus esse portus solet nauigantibus: quoniam vbi maiores aduersus Ecclesiā procellæ excitatæ fuerunt, maiorem ibi vim, & fortitudinem Christus exercuit, & quasi super mare ambulauit, dextero potissimum pede illud calcans, fluctūsque omnes sua virtute, & imperio compescens, imò vt habes Mar.

Vbi maiores in Ecclesiā procellæ excitantur, ibi maiorem vim Christus exercet.

Marc. 4. 39.

40.

Psal. 88. 10.

D. Hieron.

Iob 9. 8.

4. præcepit ventis, & mari. Et facta est tranquillitas magna, vt meritò ab Ecclesiæ persecutoribus vsurpari illud potuisset: Quis putas est iste, quia ventus, & mare obediunt ei? Id quod etiam multò ante prædixerat Regius Proph. Psal. 88. Tu dominaris potestati marū, motum autem fluctuum eius tu mitigas, hoc est, vt interpretatur D. Hier. Tu dominaris huius seculi potestatibus, & mitigas tentationes quas commouent seruis tuis: quæ eadem mira potentia describitur Iob 9. Qui graditur super fluctus maris, qui facit Arcturum, & Orionem. In quem locum D. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 5. 6. & 7. nomine maris intelligit seuientem mundi huius amaritudinem, gradique ait Dominum

minum super fluctus maris, quia cum se procella persecutionis erigunt, miracu-
 lorum eius obstupescatione franguntur: *Qui enim, inquit, tumores humane vesanie*
mitigat, quae seculas in cumulo vndas calcat. Deinde Arcturum septem stellis fulgen-
 tem interpretatur Ecclesiam septem candelabris, iuxta Apocalypsim Ioannis
 splendentem, hoc est, septem Spiritus sancti donis quasi sideribus coruscantem,
 quemadmodum igitur, inquit, *Arcturus semper versatur, & nunquam mergitur: ita Ecce-*
sia persecutiones Ethnicorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine
defectu perdurat. Denique Orionum nomine Martyres accipit: quemadmodum
 enim Oriones in ipso pondere temporis hyemalis oriuntur: ita Martyres pondus
 persequendum, molestiasque tolerantes quasi in hyeme veniunt. Illud porro ad-
 diderim Orionem cum districto gladio depingi, qui tamen gladius ex sideribus
 constat, quoniam ille ipse persecutionis gladius, quo Martyres feriuntur, sideri-
 bus coruscet: imò totus siderius est, ex sideribusque confectus: siquidem totidè
 Martyres sideribus rutilant, quod persecutionibus exercentur. Hanc dextri pedis
 calcantis mare fortitudinem observaui D. Augustinus super illa verba Psal. 92. *Mirabiles elationes maris, seu ut ipse legit, Mirabiles suspensurae maris: mirabilis in altis Do-*
minus. Suspensurae, inquit, exaltationes maris sunt, cum enim irascitur mare, suspenduntur
fluctus: mirabilis igitur suspensurae maris, mirabiles mina, mirabiles persecutiones. Sed vide, quid
sequitur, Mirabilis in altis Dominus: turbabatur mare, fluctuabat nauicula, venit Dominus
ambulavit super mare, pressit fluctus: super mare enim ambulavit, hoc est, super capita ipsorum
fluctuum magnorum sumentium: quoniam potestates, & Reges crediderunt, & subiugati sunt
Christo. Denique illud etiam in eandem sententiam plerique afferunt, quod dicitur
 Eccl. 43. *In sermone eius siluit ventus, & cogitatione placavit abyssum & plantavit illum*
Dominus Iesus, pro quo est Graecè: Plantavit in ea, id est, in Abyssis, hoc est in-
ferus: facile autem fuit pro hoc legere Iesus: tunc verò additum fuit Dominus.

D. Gregor.

Psal 92.
D. August.

Eccl. 43. 23.

III.

Secundò, ut ait Parnidn. & alij, habet Christus dextrum pedem super mare, id
 est, super populum Gentilium, sinistrum verò super terram, id est, super populum
 Iudaicum: quia enim dextrum id vocamus, quod prosperum, gratumque est, sini-
 strum verò, quod aduersum, minusque iucundum: meritò Dominus super Genti-
 lem populum pedem dextrum, super Iudaicum verò sinistru posuisse dicitur, quia
 reiectis propter suam ipsorum duritiam Iudæis Gentilem populu adamavit. Ita
 que quemadmodum Iacob in benedictione filiorum Ioseph dextram manu su-
 per iuniorem, sinistram super maiorem posuit: ita Christus Dominus mutatis pe-
 dibus dextrum super Gentilem populum, sinistrum super Iudaicum collocauit,
 cum antea è contrario res haberet. Quam ob causam dicitur Act. 13. *Vobis oportebat*
primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis aeterna vita,
ecce conuertimur ad gentes: sic enim praecepit nobis Dominus: iuxta illud Esai. 49. Posuisti
in lucem gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terrae. Illud tamen merito qua-
 res cur Hebraeorum populus terra, Gentilis, maris appellatione expressus fuerit?
 Prima ratio est, quoniam Gentiles errorum fluctibus instar maris iactabatur, nec
 illum ferre fructum poterant sanctitatis: Iudæi autem veluti terra erant à Deo
 ex culti, fructum quo eo tempore ferebant fidei, & probitatis. Et quidem quod ad
 Iudæos attinet, eos non solum terram, sed terram conuersam in saluginem, sicut
 salinas, ut alij transseunt, appellat Reg. Proph. Psal. 106. *Posuisti flumina in desertum,*
& exitus aquarum in sitim: terra fructifera in saluginem, à malitia, id est propter mali-
tiam habitantium in ea. De Iudæis enim à Deo reiectis eum locu intellexit D. Aug.
 Quia, inquit, *apud Iudæos solum Christi non inuenis, quæris Proph. non inuenis: quare hoc?*
quia posuisti flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, terra fructifera in salinas.

Iudæi reie-
cunt Gentilem
populum
Christus a-
damavit.

Act. 13. 46.

Esai 49. 9.

Gentiles ma-
ris, in loci ter-
ra conuersan-

Ps 106. 35.

D. August.

Quod verò Gentiles maris nomine exprimantur, docet D. Hier. super illa verba Abac. 3. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum, seu vt habent 70. Superinduxisti in mare equos tuos, conturbantes aquas multas.* Viam enim fecit Christus equis, id est, prædicatoribus suis, in mari, cum eos ad prædicandum Gentibus misisset. Propterea enim Apoc. 19. in equo albo federe describitur verbum Dei, & constipari à magno quodam exercitu in equis albis confidente: *Ascendit, inquit Hier. Christus in Apostolis, & postea in uno equo candido, quem alium non puto esse nisi Apostolum, Paulum super quem equitans omnem orbem peragravit. Ascendit autem verbum Dei in equis suis, vt turbarentur aqua multa, hoc est, populi multi, vt errorem pristinum deserentes veluti conturbati venientem equitem susciperent.* Translationem Septuag. in eundem sensum sic accipit D. Greg. lib. 31. Mor. c. 18. *Dimisit Dominus in mare equos suos turbantes aquas multas: quia enim aque iacuerunt: quia humana mentes diu sub vitiorum suorum torpore sopita sunt: sed equis Dei mare turbatum est, quia missis sancti prædicatoribus omne cor, quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expansit.* Quoniam verò nostra translatio luti mentionem facit, id quoque explicauit Greg. lib. 34. Mor. cap. 8. *Viam, inquit, fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum non multarum, ac si diceret: Aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrina huius seculi, sordida, & terrena sapientes. Per lutum enim desiderium sordida voluntatis exprimitur, iuxta illud Pl. 68. Eripe me de luto, vt non insigat. D. Ambr. lib. de Isaac, & anima, cap. 8. afferens eundem locum Abac. obseruauit idcirco concionatores per equos animal bellicosum, & palmis consequendis inferuiens designari: quoniam Christus equos suos, id est, Apostolos non ob aliud, quam ad obtinendam palmam victoriæ ascendit.*

III.

Illud postremò in eundem locum adnotauerim instar miraculi, & prodigij commemorari à Propheta, quòd Deus equos suos non super terram, neque super flumina, sed super ipsum profundissimum mare concitauerit, nec tamen aquarum multitudine obrui, & submergi potuerint, quin potius ipsum mare facili negotio turbauerint, quemadmodum solet equus exiguum aliquem riuulum, cum pertransit, pedibus turbare. Sic namque Apostoli cursu suæ prædicationis Gentilitatis mare ingressi nunquam vel Gentium humana sapientia, vel tyrannorum persecutionibus quasi fluctibus obrui, & inuolui potuerunt: quin potius ipsi aquas omnes turbauerunt, usque turbatis, id est, fallacibus Gentilium superstitionibus euerlis in ipso mari, quod tanquam prodigium Propheta commemorat, veluti equi discurrentes victoriæ palmam erecto fidei vexillo obtinuerunt. Id quod ad 2. Cor. 10. 4. literam dixit Paulus 2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollientem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Alias huius mysterij rationes, cur nimirum Iudæi terra, Gentiles mare dicantur breuitati consulentes consultò prætermittimus.

Septem tonitruorum mysteria explicantur.

Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua Voces suas.

SECTIO V.

- I. **P**rimum explicandum erit, cur per tonitrua concionatores Euangelici communiter, vt diximus, ab interpretibus intelligantur, nōmero septenario propter vniuersitatem comprehensū? Deindè, cur post rugitum Angeli habentis pedem vnum super mare, & alterum super terram locuta fuerint voces suas? Denique, cur eorum voces signare Ioannes iubetur, prohibeatque mandare literis?
- II. Igitur concionatores tonitruorum nomine non immeritò accipi perspicuum est ex eo, quòd Christus Dominus Zebedæi filios duos nimirum ex præcipuis

Concionatores tonitrua cur dicantur.

Euangelij sui præconibus Boanerges, id est tonitruum filios, quod ex Hebraico idiotismo idem est, atque tonitrua appellauit Marci 3, vnde D. August. lib. 17. de ciuitate cap. 4. expendens illa verba Annæ matris Samuelis 1. Regum. 2. *Dominum sermidabunt aduersarij eius, super ipsos in caelis tonabit,* (scu, vt ipse legit iuxta Septuag. *Dominus ascendit in caelum & sonuit,* docet Apostolos fuisse illa tonitrua, per quæ Dominus post ascensionem suam in vniuerso orbe tōluit. Est autem duplex potissima huius appellationis ratio præter alias, quas iam tradidimus cap. 8. Prima ducitur ex eo, quod tonitruum maximè sonat, totumque caelum videtur concutere. Sic enim Apostolica prædicatio per vniuersum orbem mirum in modum info-
lib. 26. 14.
 nituit: quam eandem rationem affert D. Hieron. (si eius sunt commentarij in Iob) cur Diuinitas verbi in humanitate quasi in nube conclusa tonitruum appelletur Iob 26. *Cum vix parvum stillam sermonis eius audivimus, quid posuit tonitruum magnitudinis illius inuerti? Quasi dicat, inquit Hieronymus, si assumptio formæ serui penè ineffabilibus mysterijs continetur. & ad comparationem assumptis Dei stilla per modica est: quanto magis quisque non poterit tonitruum magnitudinis eius inuerti: id est, ipsam Diuinitatem: quæ ideo tonitruum nomine dicta est, quia de excelsis fama nominis eius in Christo Iesu filio suo terræ insonuit, & hominibus fragore terribili insonuit.* Itaque iuxta D. Hieron. Diuinitas in carne tonitruum fuit, quia maximè tonuit, id est maximam sui cognitionem per Christum immortalium mentibus ingenerauit. Secunda ratio est, quia tonitrua maximum solent mortalibus terrorem incutere, ad eundemque modum Euangelij præcones proposita Diuinorum iudiciorum seueritate hominum mentibus terrorem iniiciunt, iuxta illud Ps. 103. *Super montes stabunt aquæ: ab increpatione tua surgent: à voce tonitruus formidabunt.* Quam ob causam D. Greg. li. 7. Mor. c. vlt. citatum locum ex D. Gregor. Iob de secundo Domini aduentu ad iudicium interpretatur hoc sensu: *Si humilitatis eius admiranda vix serimus: horrendum, atque terribilem maiestatis eius aduentum qua virtute tolerabimus: quod tonitruum aduersus illius insinuauit Dauidi Ps. 49. Deus manifeste veniet: Deus noster & non silebit. ignis in conspectu eius: exarsit: & in circuitu eius repelas valida.*
Ps. 49. 3.
 Deindè obseruandum est non sine mysterio dictum esse locuta fuisse septem tonitrua, postquam Angelus ille rugiit. Pro quo aduerte ex diuo Basil. homil. 2. in Hexam. & D. Ambr. lib. 6. in Hexam. c. 3. leonis voci tantum naturaliter inesse terrorem, vt multa animantium, quæ per celeritatem possent impetum eius euadere, rugienti eius sonitu velut quadam vi attonita, atque icta deficiant. Igitur postquam Christus à mortuis excitatus instar triumphantis leonis rugiit, inimicosque suos rugitu suo perterrefecit, tunc verò Apostoli, omnesque Euangelij præcones, qui antea præ metu foras prodire non audebant, ceperunt suæ prædicationis reboatu quasi tonitruo vniuersum orbem concutere, atque ad Christi Domini cultum plurimos tam ex Iudæis, quam ex Gætibus quasi rugitu leonis iam obstupefactos facili negotio pertrahere. Vnde Abac. cap. 3. non prius Apostolica prædicationis felicè successum retulit, quam aduentum, & mortem Christi, cuiusque de ipsa morte, ac Dæmone triumphum commemorauit, splendor, inquit, eius vt lux erit: cornua in manibus eius, sibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors, & egredietur. Diaboli ante pedes eius. Vide quid sequitur: *Stetit & mensis est terram: aspexit, & dissoluit Gentes, & contriti sunt montes seculi: incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius, hoc est, vt interpretatur D. Hieron. stans saluator, & cuncta perspicuens, & ecule suo vniuersitatem mundi metiens. Genium multitudinem dissipauit, quibus dissipatis contriti sunt montes huius seculi, & incuruati colles.* Et rectè dicuntur incuruati, ante aduentum quippe Saluatoris erecta ceruice gradiebantur: contriti autem, & incuruati sunt ab itineribus æternitatis eius, id est, Dei, quia æternitas illius ad nos
 Ff iiii

Marci.
D. August.
1 Reg. 2. 10.

lib. 26. 14.

D. Hieron.

psal. 103. 6.

D. Gregor.

Ps. 49. 3.

III.

D. Basil.

D. Ambr.

Christus à

mortuis exci-

tatus leoni

comparatur.

Abac. 3. 4.

uenire dignata est: vbi primū cernis D. Hieronymum aeternitatem Dei Deum ipsum interpretari, qui appelleretur aeternitas, quemadmodū modō Reges appellamus maiestatem: ac si Propheta diceret, *Ab itineribus sua maiestatis*. Cernis etiam, quod erat nostrum institutum, postquā aeternitas Dei, id est, Deus ipse ad nos per incarnationē venit, (hæc enim eō loco dicūtoreius itinera,) tūc maximē mō-

*Christus in
cruce solo as-
pectu inimi-
cos terruit.*

tes, & colles, id est, huius mundi Principes ei incuruatos quali subditos paruisse, quod per Apostolorum prædicationem completum esse quis dubitet? Quid verō mirum videri debet, si Angelo illo, id est, Christo per resurrectionem resurgente tam feliciter cessit fidei prædicatione: cum idem Christus in cruce solo aspectu inimicos terruerit? Illud enim etiā de leone memoria proditum est eum solo aspectu ceteras animātes perterrere, & quodammodō obstupescere, quod mirificē in Christum crucifixum conuenit: ibi enim instar leonis solo aspectu mundum, non dico terrore, sed (quod est mirabilius) amore, obstupescit, quemadmodum disertis verbis dixit Abac. cap. 3. cum de Christo in cruce ageret, *Aspexit, & dissoluit gentes*. Atque hanc etiā ob causam præter alias videtur Iacob Patriarcha, Gencl. 49. Christum in Cruce leoni sub typo Iudæ filij comparasse, cum dixit: *Ad prædam filii mi ascendisti, requiescens accubisti vt leo*. Hæc enim præda corda humana fuerunt, quæ Christus ex Cruce ad sui amorē pertraxit.

Abac. 3. 6.

Gen. 49. 9.

III.

Tertio. Rupert. expendens verbum illud, *Locuta sunt*, obseruauit post Angeli rugitum locuta fuisse 7. tonitrua, quia mysteria fidei ante aduentum Christi Prophetæ quidem sonabant: sed ita obscure, vt articulatē loqui minimē viderentur. Itaque tonitrua quidem erant: sed tantū tonabant, non loquebantur: post aduentum autem Christi Apostoli eadem fidei mysteria ita enucleatē, & explicatē prædicabant, vt meritō dixeris hæc alterius rationis, & prodigiosa esse tonitrua, quæ nimirū non tantū inarticulatos sonos edere, sed articulatē etiā, & humano more loqui possint. In cuius rei figuram Deus cum in lege veteri sese sub nebulis, & nubibus ostenderet, Moysēmq; ipsum legis veteris typum balbutientē reddidisset Exodi. 4. tamen in lege noua sub linguarum figura super Apostolos insedit: vt nimirū, quæ obscure in lege veteri mysteria ostensa fuerant, Moysēque balbutiendo indicauerat, eadem ipsi linguarū instar clarē, & articulatē loquerentur. Et quidem vt de aliis taceam mysteriis, certē in mysterio Trinit. tonitruum se fuisse, confusos, & inarticulatos edens sonos confiterur Hier. cum ait c. 1. *A, A, A, Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum*. Ter enim dixit *A*, quæ balbutientis, & infantis adhuc pueri vox est propter tres personas Diuinas: vt indicaret se comparatione eius mysterij infantem esse, & nescientem adhuc articulatē loqui: è contrario verō num tibi videntur Apostoli tonitrua fuisse humanas voces prominentia, loquentiāque articulatē, cum Trinitatis mysterium ita explicatē proponebant, vt tres personas Diuinas suis nominibus *Patris, Filij, & Spiritus sancti* appellarent?

*Ante aduentum
Christi
fidei mysteria
obscure, post
enucleatē ni-
mis prædica-
ta sunt.
Exod. 4.*

Hier. 1. 6.

V.

*Ansbert.
Sacrarum
scripturarum
l: 7io concio-
natoribus cō-
mendatur.
1. Tim. 4. 13.
D. Chrysof.
D. Greg.
Beda.*

Quartō. Dicuntur tonitrua locuta voces non alienas, sed suas, hoc est, vt obseruauit Ambr. Ansbert. non Iudæorum fabulas, non Philosophorum nēias, nō Hæreticorum versutias, quæ voces alienæ sunt à concionatore Evangelico, cuius videlicet propria vox est sacrarum Scripturarum, usquequā in suis propriis, ac germanis vocibus loqui debet: quam ob causam sacræ Scripturæ lectionem cōmendabat Apostolus Timotheo, cum dicebat: *Dum venio attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*. 1. Tim. 4. Quem locum de lectione Scripturarum intellexit D. Chrysof. & est communis expositio. Atque ad hoc ipsum significandum D. Gregor. 2. part. curæ Pastoralis cap. vlt. & Beda in sua expositione super Exod. docent præceptum fuisse Moyū, vt vctes illi, quibus arca fœderis portabatur, semper

per

per in circulis arcæ aureis positi essent: sic enim legimus Exod. 25. *Facies quatuor* Exod. 25. 21.
circulos aureos, quos pones per quatuor arce angulos, faciesque vestes de lignis setim, & operies
auro, in auresque per circulos, qui sunt in arce lateribus, ut portetur in eis, qui semper erunt in cir- D. Gregor.
culis, nec unquam ab eis extrahentur. Etenim iuxta Greg. & Bedæ sententiam per *Ar-*
cam Ecclesia accipitur: Cui, inquit, Greg. quatuor circuli aurei, id est, quatuor Euangelia
 per quatuor angulos inbentur adungi, id est, in quatuor mundi partibus predicari: vestes de li-
 gnis setim fortes sunt, persecutoresque Doctores: idcirco enim lignis setim impuribilibus com-
 parantur, qui in instructioni sacrorum voluminum semper inhaerentes Ecclesie unitatem denun-
 ciant, & quasi intrinsecus circulis arcam portant: vestibus namque arcam portare, est per bonos
 Doctores Ecclesiam ad rudes infidelium mentes predicando deducere: qui auro inbentur operiri,
 ut dum sermone alii insonant, ipsi etiam vite splendore fulgescant: de quibus rectè subiungitur:
 Qui semper erunt in circulis, nec unquam ab eis extrahentur: quia nimirum necesse est, ut qui ad
 officium predicationis excurrunt, à sacra lectionis studio non recedant: ad hoc namque vestes esse
 in circulis semper inbentur, ut cum portare arcam opportunitas exigit, de intrinsecis vestibus
 partem tarditas nulla generetur: sed circulis vestes inhaerant, ut Doctores semper in suis cordi-
 bus eloquia sacra meditando testamini arcam sine mora eleuent, & quicquid necesse est, protinus
 doceant. Hactenus Greg. Eodem spectat illud, quod ad sponsam dicitur Cant. 4. *Fa-* Cant. 4. 10.
Theodor.
uis distillans labris tuis sponsa, mel, & lac sub lingua tua. Quem locum Theodor. in suis
 comm. super Cantica de concionatoribus intelligit, qui debent conciones suas
 ex sacris purissimum literis concinnare: Ecclesia, inquit, Doctores significat, qui quasi
 favos apum in labris gerunt, & melis disfluunt stillis: nec verò mel tantum habentes, sed etiam
 lac cuique cibum promunt salutarem, & cum infantibus commodum, cum perfectis etiam con-
 gruenter. Fani verò mellis, qui in Doctorum gestantur labris, sunt divina Scriptura, quæ con-
 tinent apes, tum ceræ, tum mellis effectricos, sacros nimirum Prophetas, & Apostolos, qui per Spi-
 ritus sancti præta volitantes, & diuinarum scripturarum construunt cellas, easque doctrine
 melle, ac neesse distendentes utilitatem ad nostram transferunt. Ac ceræ quidem licera videtur
 similis: mellis verò sensus, qui in ea est reconditus: huius mellis stilla piorum è Doctorum labris
 manant. Hæc ille.

Denique iubetur Ioannes 7. tonitruorum voces signare, prohibeturque man-
 dare literis, tum ne fideles tantorum malorum, quæ tonitrua suis vocibus extremo
 tempore euentura minabantur, commemoratione animo conciderent, ut initio hu-
 ius commentarij diximus: tum etiã, ut pleriq; hoc loco obseruauerunt, quia non om-
 nia diuina mysteria vulganda sunt omnibus, iuxta illud Matt. 7. *Nolite sanctum dare* VI.
canibus: neque margaritas vestras projicite ante porcos, ne conculcent eas pedibus: Quæ ob cau- Non omnia
diuina my-
steria vul-
ganda sunt.
Matt. 7. 6.
Clem. Alex.
 sam Clem. Alex. lib. 5. Strom. refert. Aegyptios solitos in valuis templorum sphyn-
 ges, quæ animalia symbolum sunt obscuritatis, & ænigmatum, collocare: illud si-
 gnificantes diuina non passim, neque omnibus vulganda, sed occulta debere esse,
 ut maiestatem præ se ferentia in maiori pretio habeantur. Verum de hoc aliàs.

Cur Angelus gestans capite iridem tanto apparatu iurauerit tempus
 amplius non futurum.

*Leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per viuentem in secula seculorum, qui
 creauit cælum, & terram, & mare: Quia tempus non erit amplius.*

SECTIO VI.

Non est leuiter prætereundum, quod Angelus ille habens pedem dex-
 trum super mare, sinistrum super terram tanto apparatu enunciauerit
 tempus amplius non futurum. Etenim ut Ioannes scribit, amictus erat nube,



& gestabat capite pulcherrimam iridem: tunc vero leuauit manum suam ad caelum, & iurauit per viuentem in secula seculorum, quia tempus non erit amplius: quae omnia ostendunt magdram quandam rem, ac terrificam enunciasse, ut ex iis, quae mox dicemus, palam fiet.

- I Igitur obseruandum primo rem pretiosissimam esse tempus: unde ei & efficiendo, & partiendo fabricauit Deus clarissima solis, lunae, & stellarum lumina. *Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento caeli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut praesset dies, & luminare minus, ut praesset nocti, & stellas.* Maximum vero temporis pretium ex eo potissimum aestimatur, quod vel vno eius instanti infinita gloriae aeternitas emitur: etenim vno tantum instanti potest quis aeternitatem gloriae promereri.
- Eccl. 4. 21. & 14. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te praeuertat. Usque ad eam Regius vates vel minimam temporis partem perire vereretur, ut celeritate operandi cum sole ipso contenderet, imò eum praevincere, & anteuertere certaret, ne periculum videlicet incurreret, vel vnius instantis deperendi:* sic ait *Psal. 118. Praeueniunt oculi mei ad se diluculo, ut meditarer eloquia tua: quasi diceret, inquit Ambrosius ferm. 19. in eum Psalmum, Praeueni orientem solem, graecum est, sitetiosum in fratribus radius solis orientis inueniat. An nescis quod primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debes? quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus: unde sponsa Cant. 3. In cubiculo, inquit, meo in noctibus quasi sine, quem diligit anima mea: idem meruit inuenire, quia etiam in cubiculo, & in noctibus quasi sine. Haec ille. Idem confitetur *Psal. 76. Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus: id est, ut interpretatur D. Hieron. Antequam aliquis vigilaret, ego vigilabam. Quidam ex Hebraeo ita transtulerunt: Tenuisti custodias, id est, palpebras oculorum meorum, nescilicet dormire posse. Alij sic: Prohibebam suspectum oculorum meorum: stupebam, & non loquebar, hoc est, Considerans peccata oculos ad caelum erigere non audebam: & idcirco quasi stupefactus tacebam praefusione turpitudinis meae. Nec video, unde D. August. legere poterit, Anticipauerunt vigilias omnes inimici mei: quod ipse de vigilantia daemonum nos tentantium intelligit, quasi diceret: Plus illi vigilauerunt ad decipiendum me, quam ego ad custodiendum. Nec verò tempus duntaxat orientis solis anteuertere Regius Propheta conabatur, sed ipsam etiam aetatem, ne videlicet tempus aliquod aetatis vel minimum otiose transigeret, quemadmodum ipse ait, *Psal. 118. Praeueni in immaturitate, sic enim legendum est iuxta 70. cum Graece sit εἰς αὐτὴν, id est, ante horam, seu ante tempus: quemadmodum accepit D. Ambr. ferm. 19. in eum Psalm. Ante horam, inquit, & ante tempus praueuebat David, qui enim Dominum deprecatur, non praescripta praecipue tempora praesolat, reliqua ait: Praeueni in immaturitate: praecurrit enim aetatis maturitatem: quisquis in adolescentia postius senilem grauitatem induit, & iuuenilis annos veterana conscientia regit. Sed fortasse dicat: Quomodo scriptum est *Eccl. 3. Tempus omni rei sub caelo est: si tempus omni rei sub caelo, quanto magis sub Deo, non super Deum?* Haec ille.***
- III. *Gal. 6. 9. Vita temporis* Secundo. Est aduertendum hoc tam pretiosum tempus modo in nostra esse potestate, datum videlicet nobis a Deo ad bene operandum. Unde *Psal. Gal. 6. Bonum, inquit, facientes non desiciamus: tempore enim suo metemur non deficientes: Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Quibus postremis verbis docet tempus modo nostrum esse: quod vnam beneficium Dei, quia summum est, appellatur huius vitae tempus, tempus miserericordiae, veluti *Psal. 101. Tu exurgens miseraberis Sion, quia tempus miserendi eius. Est etiam illa ratio,**

ratio, quia modo Dei misericordiam promereri possumus: quo etiam sensu dixit Psal. 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine: in quē locū D. Aug. Non sine causa, inquit, dictum est, Misericordiam, & iudicium, non autem Iudicium, & misericordiam: quia modo tempus est misericordiae: futurum autem tempus iudicij.* Idem significavit Paulus illis verbis 2. Cor. 6. *Eccenunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis.* Itaque modo Deus tradidit nobis liberaliter tempus, ut in eo salutem nostram operemur: quā ob causam huius vitæ tempus multis nominibus censetur. Dicitur enim tempus visitationis, quia Deus modo nos per misericordiam, & beneficia visitat. Luc. 19. *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Dicitur tempus nundinarum, Ezec. 7. *Venit tempus, appropinquavit dies: qui emit, non latebit, & qui vendit, non lugeat.* Ex quibus verbis plerique colligunt modo tempus esse emendi, & vendendi, atque adeo nundinarum ea potissimum de causa: quoniam quemadmodū in nundinis viliori solent pretio merces comparari, ita modo exiguo pretio infinitæ propemodum merces celestium bonorum acquiruntur, iuxta illud 2. Cor. 4. *Id quod in presenti est momentaneū, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Vbi obiter adverte felicitatē gloriæ appellari ab Apost. pondus, quia sua magnitudine eleuat, & tollit omnes vitæ huius labores, ac difficultates, quippe quæ eius cōparatione leuissimæ sunt, & nullius ponderis: quemadmodum disertis verbis docuit Paul. ad Rom. 8. *Non sunt condigna passionibus huius temporis ad futurā gloriā, quæ revelabitur in nobis.* Eadem nundinarū humilitudo vfurpata est à Christo, Luc. 19. *Negotiamini, dum venio:* quali dicat: Modo est negotiandi tempus: postquā autem venero, tēpus non negotiandi, sed rationē de negotiatione reddendi. Dicitur tēpus vacationū, vacandi nimirum Deo, & bonorū operū studio, iuxta illud Pl. 45. *Vacate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Dicitur tēpus laborandi Ioan. 9. *Me oportet operari, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* Id quod copiosè dixit Regius vates, Pl. 10. *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestie silvæ, Catulileonum rugientes, ut rapiant, & quarat à Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur. Exhibet homo ad opus suū, & à operationē suā vsque ad vespērā.* Quem locum expendens D. Hier. super cap. 6. epist. ad Gal. super illa verba, *Bonū facientes non deficiamus, Ortus est, inquit, nobis Dei sermo, sol verus, & congregati sunt bestiae recedentes in cubilia sua, procedamus nos ut homines ad opus nostrum, & vsque ad vespērā laboremus:* quo ex loco iuxta D. Hier. facillè colligis eos homines, qui dū vitæ huius dies durat, ad bene operandū non procedūt, sed veluti de nocte è latibulis exeunt ad opera tenebrarum exercenda, non homines, sed belluas esse iudicandos, solūmq; eos homines censendos, qui ad bene operandū egrediuntur. Dicitur tempus sementis faciendæ, ut probat D. Hier. ex illis verbis Apost. Gal. 6. *Tempore enim suo metemus non deficientes. Tempus, inquit, sementis est præsens vita, quam currimus, in hac licet nobis, quā volumus, seminare.* Dicitur tempus æstatis, & messis colligendæ: quā ob causam Prou. 6. piger ad formicam tanquā ad magiltram à Sapiente mittitur: *Vade, inquit, ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & discite sapientiam: quæ cum non habeat Ducem, nec præceptorem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.* In quem locum D. Hier. docet hanc vitam comparari messi, & æstati, quod nunc inter ardores tentationum tempus sit colligendi non ipsa præmia, sed merita præmiorum: diem verò iudicij, hyemis affimulari rigoribus, quia tunc nulla relinquitur facultas pro victu laborandi, sed tantum cogitur vnusquisquē, quod recofidit, de pristina actionis horreo proferre. Porro aduertit Hægo Carenensis mitti à Salomone pigrum ad formicam, quod in ea aduersus omnia vitia habemus doctrinam. Quia enim sollicita est, docet

Psal. 100 1.
D. August.

2. Cor. 6. 2.

Luc. 19. 44.
Ezech. 7. 12.

2. Cor. 4.

Rom. 8. 18.

Luc. 19. 13.

Psal. 45. 11.
Ioan. 9. 4.
Psal. 103. 10.

D. Hieron.
Gal. 6. 9.

Gal. 6. 9.
D. Hieronym.

Prou. 6. 6.

D. Hieron.

IIII.
In formica
aduersus omnia
vitia habemus do-
ctrinam.

2. Thes. 3. 10. otium subterfugere. 2. Thes. 3. si quis non vult operari, nec manducet. Qua provida,
 Gal. 6. 10. 2. monet in futurum tempus prospicere, ac providere. Galat. 6. Dum tempus habemus
 operemur bonum. Quia iuvat laborantes focias, instruit ad charitatis opera. Galat.
 6. Alter alterum onera portate. Quia granum arrodit, ne germinet, suadet vitæ elationem de bono opere, omne opus bonum, quod facimus, per humilitatem deprimendo, ne inanis gloria, superbiâque suboritur. Quod aliqua ex parte innuitur Hier. 4. Circumcidimini Domino, & auferite preputia cordium vestrorum: quia archo calle incedit, ad mortificationem, & pœnitentiam incitat. Luc. 13. Contendite intrare per angustam portam. Denique quia terram egerit de cauernis, ad contemptuonem rerum terrenarum exhortatur. D. Ambros. lib. 6. in Hexameron cap. 21. & D. Chrysost. Chrylостомus homil. 17. super caput quintum Matthæi, & homilia in Psalm. 48. citant quandam aliam ex sacris literis sententiam iuxta aliquam, vt videtur, veteritam translationem: Vide ad apem, & disce, quod ea sit opifex: cuius labores reges, & principes ad sanitatem afferunt: quibus etiam verbis nobis commendatur labor, & industria bene operandi. Illud etiam significatur nobis, in hac vita quasi apibus conficiendum, hoc est, promerendum esse mel suauissimum gloria, quo postea vescamur, vt possimus tunc illud Cant. 5. vsurpare: Comedi fauam cum melle mee. In cuius rei figuram Samson Iudic. 14. fauam mellis non nisi in ore leonis, quem interfecerat, reperit. Etenim in laboribus, ac tentationibus superatis quasi in leonibus interfectis suauissimi meritorum faui reperiuntur.

Tertio est obseruandum tempus, quod nobis modò conceditur, aliquando à Deo auferendum, vt manifestè dicitur Psalm. 74. Cum accipero tempus, ego iustitias iudicabo: quasi diceret: Ego cum tempus, quod modo omnibus liberaliter concedo iterum sumpsero, non solum vitia, sed ipsas etiam virtutes iudicabo. Quo eodem sensu dicitur Mal. 3. Colabit filios Leui, id est, Districte examina bit iustos, qui per filios Leui accipiuntur. Terribile quidem verbû, & quod maximum debeat mortalibus timorem incutere: quemadmodum de sciplo confitetur Iob. c. 9. Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti. Eadem iudicij diuini seueritas explicatur Soph. 1. vt interpretatur D. Hier. In tempore illo scrutaber Hierusalem in lucernis: quæ loquendi forma duo significat, primùm exactissimam occultorum etiam criminum inquisitionem, nam qui de mos rei alicuius inuestiganda gratia scrutantur, accensam lucernam adhibent, quam ad omnia loca, & omnes angulos perferunt, quo lumen solis penetrare non potest. Deinde reddendam rationem esse rerum etiam minimarum, & quæ oculorum aciem videtur subterfugere, cuiusmodi sunt non verba tantum otiosa, sed otiosa etiam cogitationes: huiusmodi enim, hoc est, minutissima, & subtilissima esse solent, quæ in domibus accensa lucerna inuestigantur. Denique eandem seueritatem expressit Regius vates Psal. 93. 14. Quoniam non repellet Dominus plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet, usque iustitia conuertatur in iudicium. Theodor. hanc iustitiam ipsummet Christum interpretatur, iuxta illud Paul. 1. Corint. 1. Ex ipso autem vos istis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Hæc enim Dei iustitia in primo quidem aduentu conuersa fuit in misericordiam, sed in secundo conuertenda est in iudiciû. Verùm eòmuniter interpretes accipiunt de ipsa diuina iustitia, quam Dominus in iudicio exercebit, hoc sensu. Futurum est, vt iustitia Dei, quæ modò dissimulat, & differt vindictam, conuertatur in vltionis iudicium, & ad executionem procedat, vt indicetur modo iustitiâ diuinam ferre quidem sententiam secundum præsentem iustitiam: sed ad executionem interpellante misericordia nõ semper progredi, illo autè extremo die ad executionem processuram.

Ex dictis

Ex dictis facillè iam quivis intelliget, quàm terribilis, ac metuenda res sit mortalibus tempus eis penitentia, ac diuinæ misericordiæ præcidat que aded quanto iure hic Angelus eo cæremoniarum apparatu, & maiestate quali rem aliquam terrificam nunciaverit tempus penitentia, Diuinæque misericordiæ promerèdè amplius non futurum, imò tempus ipsum tanquam locupletissimum testem rerum omnium siue malè, siue bonè gestarum à Deo ad iudicium accersendū: què admodum dilectis verbis dicitur Thren. 1. *Procauit adversus me tempus.* Quem locum de iudicio interpretatur. D. Th. Hunc iudicij terrorem, & ablationem temporis adhuc magis exaggeravit Angelus, cum manum in cælum leuavit: quod præterquam quòd iurantis est ritus, comminationem etiam continet irarum, nisi homines nunc peniteant: sic etiam accipies dum est illud Deut. 32. *Leuabo ad cælum manū meā: & dicā: Vno ego in æternū. Si acervo ut fulgur gladiū meū; & arripuerit iudicium manūs meæ, reddā ultionē hostibus meis, & in qui oderunt me, retribuā.* Quo loco obserua in eo, quòd Deus commisitque manum le in cælum vsque leuaturum, grauisimum notari supplicij: quo enim altius aliquis manū attollit, eo grauiorem ictū infert: quo fit, vt Deus eleuans manū suam vsq; in cælū, arrepto videlicet gladio iræ suæ acutissimo, vt ibidem dicitur, maximū debeat peccatoribus ultionis ictū inferre. Alia quoque reddi potest tot, tantarūq; cæremoniarū ratio: quoniam par erat, vt temporis tanquam magni cuiusdam Principis interitus magnifico apparatū denunciaretur: quasi Princeps namq; tēpus describitur, cum rebus omnibus dominati dicitur Eccl. 3. *Omnia tēpus habent, & suis spatiis transiūt uniuersa sub cælo: tēpus nascendi, tēpus moriendi, &c.* Quod verò idē Angelus eo ipso tempore, quo iurat tēpus amplius nō futurū, simul gestat capite pulcherrimā iridē pacis, & fœderis symbolū, illud indicat misericordem Deū modò etiam, cū minatur, pacē omnibus, & amicitiam offerre. Quam eadē ob causam diximus 1. ca. apparuisse præferentem in manu dextra septē stellas, quali eas offerret, ac porrigeret mortalibus, simulq; tēphatā vtraq; parte acutam non vibrantē manu, sed proferentem ore: quia cū modò suppliciorū comminationibus agat, meritò gladium ore gestare describitur, quem tamē aliquādo de ore ad manū trāsferet, eòq; vibrato rebelles obrutūcabit.

Superest igitur, vt illud Apostoli consiliū accipiamus Ephes. 5. *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus quoniam niam dies mali sunt.* Quo loco quanquam verbum Græcum *χρῆσθῆναι* pro quo nos habemus *tempus*, propriè occasionem, & opportunitatem operandi significet, tamen ab Apostolo non semel pro ipso tempore vsurpatur, veluti Rom. 3. *Ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, & cap. 8. Existimo, quòd non sunt condigna pæssiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: & 2. Timoth. 3. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt: multūque in aliis locis, in quibus *χρῆσθῆναι* pro tempore vsurpantur. Obseruandum est autem verbum illud *Redimentes*, quod variè exponitur. Prima expositio est tempus, cū à Deo datum sit, vt hominibus in bonis operibus seruiat, quasi captiuum teneri, quando in malis operibus infunditur, atque à Deo rursus per bona opera redimendum, & ex captiuitate in libertatem quodammodo vendicandum: quæ expositio est D. Hieron. *Quando, inquit, in bonis operibus tempus consumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malicia hominum venditum fuerat.* Secunda expositio est huiusmodi. Sæpè Deus peccatoribus tempus, quòd secundum naturæ cursum viuere deberent, propter peccata diminuit, iuxta illud Psalm. 54. *Vitæ sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Quam ob causam illis centum viginti annis, quos vsque ad diluuium Deus hominibus præscripserat Genes. 6. viginti annos detraxit, vt perspicuum est ex sacris*

VI.
Metuenda
res mortali-
bus eis peni-
tentia tem-
pus præcidi.

Thren. 1. 15.
D. Thom.

Deut. 31. 40.

Eccl. 3. 1.

VII.

Ephes. 5. 26.
Tempus iustitiæ sollicitū
vitanda.

Rom. 3. 26.
Eccl. 3. 18.

2. Timoth. 3. 3.

Tempus redimere quid sit.

D. Hieron.

Psal. 54. 24.

Genes. 6.

literis, & alijs fusius diximus. Cum igitur Deus soleat tempus vite propter peccata diminueri, is qui bene agit, recte dicitur, illud redimere: quoniam illud vite spatium, quod alioqui, si peccaret, erat sibi Dei iudicio detrahendum, quodammodo bonis operibus redimit, impletque dies omnes sibi ad viuendum à natura definitos: itaque moritur plenus dierum, quemadmodum dicitur de Abraham, Genes. 52. Tertia est D. Aug. ser. 24. de verb. Apost. cum dici tempus redimere, qui illud aufert negotiis secularibus, ut quiete sua fruatur, ac Deo vacare possit. *Quando, inquit, aliquis tibi inferi licet, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus: idem, quod perdis, pretium est temporis: sicut enim das nummos, & panem emis, itaque aliquid amittis, & aliquid acquiris: sic perde nummos, ut emas tibi quietem, id est, tempus vacandi Deo, hoc enim est tempus redimere.*

Cur Ioannes librum, quem de manu Angeli acceperat, in ore dulcem, & in ventre sensit amarum.

Et erat in ore meo tanquam mel dulce, & cum deuorassent eum, amaricatus est venter meus.

SECTIO VII.

I. **L**ibrum hunc diximus complecti vaticinia rerum futurarum extremis mundi temporibus: quem in ore quidem dulcem, in ventre autem amarum sensit Ioannes: quia primum fuit ipsa rerum prænuntione recreatus, sed paulo post amplius in earum contemplatione versatus, cernensque terribilia illa iudicia, quæ adhuc manent mortales, incredibilem animo concepit dolorem. Simile quiddam accidit Ezechiel, ut ipsemet commemorat cap. 3. *Aperuit os meum, & cibavit me volumine in illo, & dixit ad me: Fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto: & comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce: proculdubio innuit Propheta non ita idem volumen in ventre sensisse, sed amarum.*

Ezech. 3. 2.

II.

Sanctorum est alienis malis tanquam suis affici.

Ezech. 4. 5. D. Hieron.

Primum igitur notandum sensisse Ioannem librum in ventre amarum ob eam rationem, quam diximus, quia Sanctorum proprium est alienis malis tanquam suis affici, compassionemque habere proximorum. Vnde Ezechiel, postquam ipsi ostensa fuisset Hierosolym. euerio, præceptum est, ut sumeret sartaginem ferream, eamque inter se, & ciuitatem, quam descriptam habebat in latere, collocaret, Ezech. 4. *Sume tibi sartaginem ferream, & pones eam murum ferreum inter te, & inter ciuitatem.* Et quidem D. Hieron. vult sartaginem istam ferream, quæ instar muri inter Prophetam, & urbem ponitur, grandem iram Dei demonstrare, quæ nullis precibus fatigetur, flectaturque ad misericordiam. Itaque in Dei ira Iudæi per calamitates ab eo sibi diuinitus immittas quasi in sartagine frigebatur, quæ ideo inter Prophetam, & urbem ponitur, ne ab urbe ad ipsum Deum, quem Propheta representabat, vllus pateret aditus ad veniam impetrandam, imò si ab urbe ad Deum ire vellent, in ipsam iram sartagine incidere, iuxta illud Thren. 3. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco inexorabilis es: opposuisti nubem, ne transeat oratio: cui concinit illud Esai. 59. Iniquitates vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.*

Thren. 3. 42.

Esai. 59. 2.

D. Ambros.

Psal. 38. 12.

Hierem. 12.

D. Ambros.

Septuag.

Diuisus etiam Ambrosius, sic eandem sartagine accipit in expositione Psalm. 38. super illa verba: *Tabescere fecisti sicut aranea animam eius. Mittuntur, inquit, in sartagine animæ peccatorum, ut desinat quadam peccati caro, quæ obauerat animæ, & mentis vigorem. Quam eandem ob causam Hierem. c. 1. ut ibidem obseruauit Ambr. prius vidit virgam vigilantem, seu, ut habent Septuag. baculum nucem, quàm seruientem ollæ: Quia, inquit, qui baculo non corrigitur, in ollam mittitur, ut ardeat, & tabescat. Verùm D. Gregor. lib. 1. in Ezech. homil. 12. existimat significari per sartagine animam*

Prophe-

Propheta, qui cōspecta vrbis euefione per compassionem quasi in sartagine frigeretur, eiusque rei à Deo admoneri, cum iubetur inter se, & vrbem sartagine ponere. In cuius rei cōfirmationem affert illud Pauli 2. ad Corinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor: qui scandalizatur, & ego non uror: ipsum suum ego, inquit, Greg. quod animarum zelo succenderat, sartagine fecerat Paulus, in quo amore virtutum contra vitia ardebat, quod extendere possumus ad ipsam etiam compassionem proximorum labores, & calamitates tolerantiū. Quantū verò is zelus, quo Sanctorum mentes fringuntur, Deo sit gratus, ostendi potest ex sexto cap. Leuitici, vbi simila in sartagine oleo cōspersa frigi præcipitur, & offerri calida in odorem suauissimum Domino: simila enim in sartagine frigitur, vt loco citato idem Gregorius docet, cum mensiusti per zelū sancti amoris crematur: quæ cōspersa oleo præcipitur, id est, charitati, & misericordiæ misceri, quæ in cōspectu Dei ardet, & lucet. Igitur non solūm propter peccata, quæ ab impijs committuntur, debet Sanctorū mens per compassionem frigi, sed etiam propter calamitates, & incommoda proximorū, potissimum verò ea, quæ vniuersæ Ecclesiæ accidunt, vt hoc loco exemplo Ioannis instruiamur.*

2. Cor. 12. 19
D. Gregor.

Lea. 6.

D. Gregorius

Secundō. Obseruabit D. Thom. in hunc eundem locū Ioannem sensisse librum dulcem in ore, amarum in ventre, quia verbum Dei rationi quidē dulce est, & suauē, sed amarum sensualitati, & carni. Quod enim verbum Dei dulce sit rationi, inde probatur, quōd in sacris literis in ore, per quod pars rationalis intelligitur, dicitur dulcescere, veluti Psal. 108. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel oris mei!* In quem locum D. Hieron. expendit non sine mysterio dictum esse, *Faucibus*, quia nimirum traiecto per guttur melle, vel alio cibo palatum nullum vltra saporem habet: at verò diuina eloquia siue in ore, siue in faucibus semper sunt dulcia meditantibus. Notauit quoque Remig. non solūm dictum esse *Faucibus*, sed etiam *Oris*: quia diuina verba predicatorum tunc sentiunt in faucibus dulcia, cum ex ipsis ædificationi propriæ studēt, tunc verò in ore, cum eorum dulcedinem illis etiam eructant, & cōmunicant. Denique D. Amb. explicauit adhiberi mellis similitudinem. *Quia sicut, inquit, oris amara, quæ febribus, vel alijs agritudinibus acciderunt, mel mitigat, ita tristitia corda ob delictorum penitentiam diuino sermone dulcescunt.* Quod vero sensualitati, & carni verbum Dei videatur acerbum, inde proficitur, quod carnis petulantia coercet, deprauatæque naturæ licentiam comprimat: quæ quidē in re diuinum verbum est pilulæ cuidam inauratæ quàm simillimū, quæ dulcissimi inuoluta in ore quidē dulcescit: sed postea ventrem, vniuersumque corpus commouet: nec sine molestia, & nausea prauos humores pellit, & sanitatem affert. Atque ad hoc ipsum significandum vir ille, qui Ezech. 1. apparuit, cum in superiori parte esset ex electo: in inferiori tamē totus erat igneus: quia Deus superiori quidem mentis nostræ parti totus est dulcis, instar electri amorē nostrū blandē concilians: in inferiori autē igneus, hoc est, omnē inferioris partis corruptionem seuerē non sine sensu doloris adurens. Orig. ho. 1. in Ezech. aliam affert non multum dissimilem eiusdem visionis expositionem: *Virga, inquit, quatuor animalium non totus est igneus, sed pube tenus a pedibus, & exinde vsque ad summum electri fulgore rutilat: non solum enim tormentum habet Deus: sed sunt in eo etiam refrigeria: punit peccatores, sed per ea misericordia, quæ deorsum sunt: tunc vero addidit idcirco vsque ad tenes hominē illū apparuisse igneū, quia libidinis motus sunt omnino adurendi, & refecandi. Porro aduerte, licet diuina iudicia, ac supplicia in toto quidē amara videantur: tamen si patienter ferantur, postea suauia, dulciāque sentiunt: id quod expedit D. Hier. loco illo citato Hier. 1. cū Propheta vidit *Virgam vigilantem*, seu, vt Septuag. translulerunt, *Baculum nucem*, & vt Theod. vertit, *Virgam amygdalinam. Vigilat, inquit, virga cuncta**

III.
Verbum Dei dulce est rationi, amarum sensualitati.
Psal. 108. 103
D. Hieron.

Remig.

D. Ambros.

Ezech.

Origen.

Hier. 1.

Septuag.

Theodotio.

Hieron.

populi peccata considerans, ut percussat, & corripiat delinquentes, unde & Apostolus scribit
1 Cor. 4. 21. peccantibus. Cor. 4. Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? ista est virga, vel baculus, de quo loquitur David Psal. 22. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt: pulchreque posuit, Consolata sunt: ad hoc enim Dominus corripit, ut emendet. Et quomodo nux, siue amygdalum amarissimum habet corticem, & testa durissima cingitur, ut detractus austerioribus, & duris, fructus dulcissimus reperiat: sic omnis correptio, & labor continentia amara quidem videtur ad profens, sed fructus pariter dulcissimus. Hac Hieronymus.

Utrum Ioannes Euangelista venturus sit simul cum Enoch, & Helia temporibus Antichristi?

Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.

SECTIO VIII.

M Vltorum torquet ingenia sententia illa ab Angelo dicta Ioanni hoc ipso ca-
p. 1. **A**ffirmatiua opinio probatur. Ioan. 21. 22. Etenim propter haec duo potissimum testimonia plerique in eam iu-
re sententiam Ioannem nostrum simul cum Enoch, & Helia extremis mundi tem-
poribus venturum, & fidem Christi aduersus Antichristum, eiusque sectatores
propugnaturum, & quod est consequens, viuum adhuc ad ea vsque tempora di-
uina virtute referuari. Quam sententiam amplexi sunt Hippolytus Mart. orat. de
consummatione seculi. Prior, inquit, ipsius aduentus praecursorem habuit Ioannem Ba-
ptistam, Posterior vero, quo venturus est in gloria, Enoch, & Eliaz, & Ioannem Theologum
exhibebit. Catharin. opusc. de hac re, & in comment. super 1. cap. Gen. Doroth. Epi-
scopus Tiri, Simeon Metaph. in vita Ioannis, Georgius Trapez. tractatu quodam
super illa verba Domini Ioann. 21. sic cum volo manere, donec veniam. Ad eandem
sententiam videntur accedere D. Ambros. libr. 7. in Lucam. D. Ioann. Damascen.
orat. de transfiguratione. Eandem referunt ut probabilem Theophyl. Ioann. vlti-
mo, & Euthym. in Matth. cap. 43. Quae opinio nititur potissimum duobus Scri-
pturae testimonijs iam citatis. Et praeterea, quia Christus Matth. 20. dixit Ioanni
& Iacobo: Calicem quidem meum bibetis: quibus verbis de vtriusque martyrio locutus
fuisse nemini dubium est. Cum igitur haec tenus non legamus Ioannem Apostolum
martyrio vitam finivisse, videtur adhuc expectandum eius martyres tempus at-
que ad ead. ad extrema mundi tempora referuari, ut pro fidei confessione ab Anti-
christo morte accipiat. Denique quia consentaneum est, ut Antichristo omnium le-
gum violatori sese opponant legum omnium loeupletissimi testes, & acerrimi pro-
pugnatores: quare cum Enoch eo tempore pro lege natura, Helias pro lege scripta
pugnare debeant, illud super est, ut Ioannes legis Evangelicae partes tuatur.

Contraria tamen sententia multo est probabilior, & certior, atque a se omnino
amplectenda: cuius illud est fundamentum praecipuum, & firmissimum, quod Ioan.
mortuum iam esse est communis Patrum doctrina: sic enim tra. iunt Tert. l. de anima
e. 30. D. Hier. li. de scriptoribus Eccl. & li. 1. aduersus Iovinianum, & in com. super
20. c. Mat. Euseb. Cas. li. 5. hist. Eccl. e. 24. Niceph. li. c. 35. & li. 2. c. 42. D. Aug. tract.
12. 4. in Ioan. Epiph. heresi 79. D. Ildor. li. de vita, & obitu Sacerdotum c. 74. Theoph.
& Beda Ioan. vltimo, Euthym. in Mat. c. 43. Praeterea in concilio Ephesino iubetur
adorari reliquia Martyrum, maxime vero Ioannis Theologi: earundemque reliquia-
rum

VIE
Apoc

rum mentionem facit Caelestinus Papa in epist. ad synodum Ephesinam. Idemque non obscure significauit D. Chrysof. hom. 26. in Epist. ad Hebr. & hom. 2. in Ioan. referuntque D. Thom. in cap. 21. Ioan. & in 4. sentent. de 43. q. 3. ad 2. & Abul. q. 79. in 20. cap. Matth. Præterea eius sepulchri meminerunt Euseb. lib. 3. hist. Eccl. c. 33. D. Hieron. de scriptor. Eccle. in Ioanne, D. Chryf. hom. 29. in epist. ad Hebr. Socrates lib. 6. c. 10. Sofom. lib. 8. c. 6. Palladius in dialog. Metaphr. in vita Ioannis. Quamquam verò Ioannem obiisse, & statim resurrexisse, atque ad eò tam animo, quam corpore beatù in cælo esse existimauit Niceph. locis citatis, & Petrus Damianus ferm. 2. de excellentia Beati Ioannis Euangelistæ, & D. Thom. in caput 21. Ioannis, ubi opiniones de sepulchro eius commemorat: eamque opinionem referant, nec reiciant D. Ambros. ferm. 20. in Psalm. 118. 85 D. Hieron. in ferm. de assumptione: probabilius tamen nobis videtur eum nondum surrexisse, tantumque eius animam in cælo esse propter ea, quæ paulo ante de reliquijs eius diximus. Ex quo illud etiam colligimus eum nequaquam extremis mundi temporibus venturum: cum enim eius animam iam sit beata, nullò pacto est credibile iterum ad mortale corpus, communemque cum hominibus conuersationem reuersuram: esset enim instar insoliti cuiusdam prodigij, quod non est temerè affirmandum: quam ob causam qui eum eo tempore venturum senserunt, consequenter affirmarunt, nondum diem suum obiisse: sed sicut Enoch, & Heliam viuum diuinitus referuari: ad quod etiam multò magis dicendum est in ista illorum sententiam, qui eum in corpore glorioso iam resurrexisse putauerunt.

Caelest. Pap.
D. Chrysof.
D. Thom.
Abulensis.
Eusebius.
D. Hieron.
D. Chrysof.
Socrates.
Sozomenus.
Palladius.
Metaphrast.
Nicephor.
D. Thomas.
Petr. Dam.
D. Ambros.
D. Hieron.

Nec verò testimonia Scripturæ citata nobis officiant. Ad illud enim quod dicitur Ioan. 21. *Sic enim volo manere, donec veniam*, dicimus varianti esse eius loci lectionem. Etenim plerique legunt *sic*, veluti D. August. tract. 124. in Ioan. D. Ambros. lib. 7. in Luc. & D. Bernardus ferm. de natali Innocentium: & alij *si*, vt Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioan. cap. 66. D. Chrysof. hom. 83. & D. Hieron. lib. 1. contra Iovinian. Alij vtrunque coniungunt, & legunt, *si sic*, vt D. Ambros. in orat. funebri de obitu fratris. Vtrunque tamen sit, Cyril. Alex. facile se hoc modo expedit: ait enim Christum nihil affirmasse, sed tantum conditionali responsione curiosam Petri questionem compescere voluisse. Illud tamen magis dixerim, si legendum est, *Volo*, vt legunt D. Ambros. D. August. D. Bern. locis citatis, & Doctores communiter: non autem, *Velim*, vt legit Cyril. Alex. propositionem videri potius absolutam, quam conditionatam, atque ad eo Christum Dominum aliquid affirmare voluisse siue legendum sit, *si*, siue, *si*. Tunc verò respondemus Christum loqui de suo aduentu non ad iudiciū, sed ad puniendos Iudæos per Titum: itaque significare voluisse Ioannem non antè vrbis euersionem moriturum: quod ita cõtingit: obiit enim anno Domini 99. hoc est, post euersionem vrbis 75. siquidem ea accidit anno 42. post Domini passionem. Eodem sensu dictum est c. 2. huius operis Angelo Ephesi: *Sin minus venio tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris. Vbi, Venio tibi*, punitionem significat, vt eo loco diximus. Atque hæc responsio videtur nobis præ cæteris probabilior, quippe quæ sit modo loquendi Scripturæ consentanea, & facile omnem ditimat cõtrouersiam. Cum verò hic dicitur: *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis*: illud tantum significatur Ioannem ex insula Pathmos, vbi tunc erat, in Asiam reuersurum, ibique per se ipsum & toto orbe per Euangelium, quod conscripturus erat, multis gentibus, populis, linguis, ac Regibus fidei mysteria prædicaturum. Quod autem Christus dixit Ioannem calicem passionis bibiturum, D. Hieron. eo loco docet impletum fuisse, cum in feruentibus olei cõlium Domitiani iussu mis-

III.
Resistantur
rationes pri-
mae sententia.
D. August.
D. Ambros.
D. Bernard.
Cyrill. Alex.
D. Chrysof.
D. Hieron.
D. Ambros.
Cyrill. Alex.

Apoc. 2. 5.

D. Hieron.



sus fuit: licet enim tunc temporis fuerit diuinitus seruatus à morte: quia tamen sponte pro fide se morti obtulit, causaque illa sufficiens erat ad mortem ei inferendam, nisi miraculum intercederet, verè calicem passionis bibisse dicendus est. Denique non est opus, vt Ioannes pro lege gratiæ prædicanda tunc veniat, cū defuncti non sint quamplurimi, ii que excellentes Sancti, & Heroës, qui eam sua prædicatione, & martyrio testari debent.

ARGVMENTVM.

Caput hoc vndecimum adhuc sexti Angeli visionem persequitur, eaque absolute septimi visionem comprehendit. Multa in ea commemorantur, quæ tempore Antichristi debent contingere: potissimum verò Enoch, & Helix prædicatio, martyrium, & resurrectio.

CAPVT VNDECIMVM.



Datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi: surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo: atrium autem, quod est intra templum, eiice foras, & ne metiaris illud, quoniam datum est Gentibus, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantia. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendet de abyssu, faciet aduersum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & incundabuntur: & munita mittent inuicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant super terram. Et post dies tres, & dimidium, spiritus vitæ à Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super in eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite huc: Et ascenderunt in cælum in nube, & viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus est terræ motus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit: & occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia, & reliqui in timorem